



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

336. Dominica 24. post Pentecost. De minis desolationis spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCCXXXVI.

Dominica 24. post Pentecosten.

De minis desolationis spiritualis.

Vldebo iudicium inchoari à domo Dei, quia Hierusalem scrutari in lucernis, est de occultis amicorum Dei lapsib' vindictam sumere, ait D. Bernard. Petam agnoscere causas desolationis, & pœnæ spiritualis.

Conf. 1. Notas hominis desolati ex eodem sancto; in Psalm. 79. Exsiccatum est cor meum, & anima mea est, sicut terra sine aqua, non possum lacrymas fundere, non invenio in Psalmis saporem, non delector lectione bonorum librorum, non me recreat oratio, nec aditū invenio ad meditationem, ad opera manuum factus sum piger, in vigilijs somnolentus, præceps in iram, in odio pertinax, liber in lingua, effrenis in gula. Hoc est, non visitari à Domino, hoc deficere in spiritu. Accedit punitio spiritualis per privationem gratiæ, vel subtractionem auxilij interni, quo amovebantur impedimenta, illuminabatur mens, inflammabatur voluntas, vel per subtractionē auxilij interni, ut sūt preces priorum, bona consilia, afflictiones, vel per excacationem, & obdurationem, cujus causa est dæmon, & malitia propria, unde, qui pedem jam in cœlo habuerant, cum Lucifero præcipitantur.

CC 2

Conf.

604 *Dominica 24. post Pentecost.*

Conf. 2. Causam hujus non esse Deum, qui incommutabile bonum, semperque idem est, quòd autem non idem semper appareat, eorum culpã id accidit, qui Deum non eodem modo semper intuentur, sed viciati affectu aliquo comparent, ut David vanã gloriã affectus, Moyses diffidentia, &c. Quos Deus (in vitia severè animadvertens) terribiliter punivit, & Moysen quidem usque ad mortem; alios verò (ut est in vitis Sanctorum, & Chronicis) permisit in fine vitæ gravius labi, & æternum perire, juxta illud Isai. 26. *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit faciem Dei.* Alios non audivit orantes, ut Antioch. 2. Machab. 9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus,* Cujus rei tres causæ à P. Lessio de justitia Dei assignantur 1. Lapsus lethalis. 2. Lapsus veniales. 3. Tepor, & neglectus divinarum inspirationum, unde homines etiam Deo sacri usque ad damnationem æternam præcipitantur.

Conf. 3. Verba Jobi cap. 2. *Divitias, quas devoravit, evomet,* id est, Corpus Christi, quia non vult Dominus remanere in sentina diaboli, ait Hugo Card. in Joann. cap. 6. Et S. Vincent. Ferrer. serm. 4. inquit: *Angeli, qui assistunt huic Sacramento, indignè recipientes interficerent, nisi divina misericordia prohiberet.*

Feria 2. Domin. 24. post Pentecost. 605
ret. Cæterum in desolatione filiorum Dei, ita
à Deo pendere oportet, ut si quid iusserit,
quod secundum hominem injustum esse vi-
deatur, justum credatur, & fiat, exemplo Jobi,
Tobiæ, Christi: ita D. Cypr. de singul. Cler. &
D. Suso lib. de Sap. ait: Nulla est perfectior, re-
signatio, quam in sui derelictione esse resignatio.

MEDITATIO CCCXXXVII.

Feria 2. Domin. 24. post Pentecost.

De minis mortis.

Audiam D. Augustinum Lib. 2. de Genes.
cont. Manich. dicentem: *Nihil sic revo-*
cat homines à peccato, quemadmodum imminens
illis mortis cogitatio. Petam bonam mortem.

Cons. 1. Mors est pœna peccati, naturali-
ter inevitabilis, destructio artificiosissimi
corporis humani, corruptio mirabilis com-
positi ex spiritu, & carne, amara separatio ab
omnibus, quæ in hac vita amantur, dolo-
rosa sensuum defectio, fœtor in corpore, af-
fectio in anima propter peccata, imminens
judicium, incertitudinem salutis, quia igno-
rat non tantum mortis tempus, modum, &
locum, sed etiam statum suum, an in da-
mnandi vel salvandi sorte sit. Statuam ijs
non affici, à quibus debeo divelli. Non dif-
ferre ad ultimum vitæ exercitia virtutum,
ut earum actus facilius eliciam, præsertim

CC 3 Spei,